35 17700/P 47991

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA DE PLANTAGINE,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE ET WESTPHALIAE, & reliqua,

SVB PRÆSIDIO

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,

HEREDITARII in Schwartza/

MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI, SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARII ET ARCHIATRI, THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII,

Patroni ac Præceptoris æternum colendi,

publicæ philiatrorum disquiſitioni expoſita

a

NICOLAO CHILIANI,

VMMERSTADIENSI FRANCO,

IN AVDITORIO MEDICO

horis conſuetis,

ad D. Nouembr. Anno M DCC XII.

IENÆ, Literis KREBSIANIS.

VIRIS

Perilluſtri ac Magnifico, Prænobiliſſimis,
Conſultiſſimis, Excellentiſſimis, Experientiſſimo,
atque Doctiſſimis Dominis,

DOMINO

TOB. SVTORIO,

IVRISCONSVLTO CONSVMMATISSIMO, HEREDITARIO in Mäder/ SERENISSIMI DVCIS SAXO-HILPERHVSANI CONSILIARIO INTIMO, CANCELLARIO AC CONSISTORII PRÆSIDI GRAVISSIMO;

DOMINO

IOH. LVCÆ RHIEM,

MEDICINÆ DOCTORI CELEBERRIMO, CONSILIARIO ET ARCHIATRO SAXONICO DIGNISSIMO, GYMNASII QVOD COBVRGI FLORET P. P. AC COLLEG. N. C. COLLEGÆ MERITISSIMO;

DOMINO

HEINRICO PERTHES,

IVRISCONSVLTO FAMIGERATISSIMO, REGIMINIS SAXO-COBVRGENSIS SECRETARIO AC ADVOCATO ORDINARIO,

Dominis, Patronis, Fautoribus, ac Patrueli,
omni honoris & obſeruantiæ cultu proſequendis,

huncce ſuum ingenii fœtum

humillime offert
NICOL. CHILIANI,
M. C.

I. N. I.

PRÆFAMEN.

INter alia telluris nomina , nobiliſſimum videtur, quod terra ſit mater omnium, non quidem Dea, quod excæcati Ethnici ſtatuerunt, ſed quod, præter cultum, ſit Dei O.M. maieſtatis alterum monumentum, omnem admirationem excedens.

Satis eſt, altricem noſtram, terram, fruges ferre, quibus fœta & ſeminibus grauidata omnia parit, diuino iuſſu, & ex ſeſe fundit, & vt mater cibos ſuppeditare.

Non ſubterraneos iam theſauros luſtrabimus, non animalium & aquatilium miras diuerſitates, ſi ſolam ſuperficiem ſpectemus, aliquot millia plantarum occurunt, quarum vnaquæque ſummum celebrat creatorem.

Terra primum ſolidum eſt, nihil enim terræ expers ſolidum eſſe poteſt, & fluido fermentatum, ma-

teriam primam rerum conſtituit. Ex hac ſuccum trahunt ſtirpes, eundemque, aere & ſole obſtetricante, immutant vnice, in ſui, brutorum, & hominum ſalutem.

Si vel vias & ſemitas attendamus & calcemus, vbiuis obuias inuenimus, quæ ſalubritate, & vſu ſe commendant. Ex his rimandam inpræſentiarum ſuſcepimus viliſſimam viſam, ſed vere panchreſtum remedium, PLANTAGINEM. Hoc vt feliciter eueniat, ſupremum exoramus numen!

CAPVT I.

De

Plantaginum Etymologia, differentia ac definitione.

VT circa plantaginis conſiderationem eo felicius procedamus, præſtat ſtatim ab initio ſummum illud *Galeni* monitum exſequi, quod *l. I. meth. medendi c. 5.* extat: Sine notione nominis, propoſitæ rei eſſentiam inuenire non licet, *& L. III. de ſimpl. facultat. c. 12.* Perturbatus nominum vſus, rerum quoque perturbat notitiam; quod veriſſimum eſt, hoc loco, in conſideratione & examinatione rei herbariæ, vbi diuerſa, copioſa ac tædioſa ſane nominum cumulatio, rem ipſam ſæpius adeo obſcurat, vt dubitare incipiamus, an hæc illa ſit veterum hac ſub denominatione veniens planta, nec ne. Et harum dubitationum querelæ paſſim, apud authores hac de re ſolicitos, reperiuntur, hinc & in ipſa plantaginis luſtratione obuiæ.

Vti vero ſine dubio plantago denominationem ſuam adepta eſt a plantæ nomine, indeque deriuatis; ita notabile eſt, plantæ vocabulum, cui plantago originem ſuam debet, tres diuerſas ſubminiſtrare ſignificationes ex quibus autores diuerſimode ſuas depromunt deriuationes.

Primo namque pedis planitiem inferiorem totam ſignat, Græcis τὸ πέλμα, quod Germanis *Fußſohlen* dicitur. Deinde herbam, ſeu fruticem, Græcis φυτὸν & φύτευμα, (& hæc a φύω, vnde φύσις) quod nobis *eine Pflantze, Kraut-Gewæchs* audit, ex certa vel planta, vel arbore. Denique ſurculum, κλάδος, ramulum, qui decerpitur & alibi tranſplantatur & propagatur, ſeu in terram ſolum, ſeu arborem aliam, per traducem producitur, quod poſterius Germanis *ein Pfropffreiß* audit. Illius exempla præbent tum noſtrates herbæ non paucæ & arbores quædam, vt de pulegio, roſmarino, maro vero, ſalice notum eſt, tum exoticæ quamplures, ſingulari diuina prouidentia.

Ad prioris ſignificatus modulum reſpexit *Caſpar Hoffmannus, medic. officin. l. 2. c. 176. p. 425.* & *Raius hiſtor. plant. tom. 1. c. 8. p. 878.* qui a foliorum latitudine plantam pedis exhibentium notionem arceſſunt. Aſt ſi fateri volumus, quod res eſt, vix niſi ratione planitiei id locum habet remotius, quod plantæ pedum noſtrorum planæ ſint, & plantaginis hinc folia lata, ſeu plana ſint. Alioqui enim nulla fere ſimilitudinis dictæ ratio vel formæ conuenientia apparet, vt ipſi ſenſus oculi, tanquam optimi hac in re judices, teſtantur, ſed potius ad figuram partim rotundo-oblongam, partim oblongo-æqualem, in acumen vel apicem deſinentem, inclinant. Et hoc attendentibus Græcis linguæ potius pecorum ſimilitudo placuit, vnde ipſis denominata fuit, vt dicemus.

Alii vero cum *Renodæo in Diſpenſator. Galenic. Chimic.* plantaginem a planta, abſolute & κατ᾽ ἐξοχὴν, dictam eſſe volunt, cum hæc planta, reliquarum omnium inſtar, & quaſi prima ac frequentiſſima ſit, adde & ob virtutes, quas habet egregias, & vſum in ſanitate tuenda ac morbis profligandis, vſitatiſſima, quo de infra capite tertio agemus.

Medium elegit *Humelbergius comment. in L. Apuleii de medicam. herbar. c. 1. p. 29.* Dictum eſt plantago, *inquiens*, & nomen habet a planta, quæ eſſe dicitur, quod transferendi gratia de arboribus rapitur, vel ex ſemine oritur, & quod planas, id eſt, æquales oporteat eſſe plantas. Idque alii etiam de ipſis ſeminibus, tanquam ouulis plantarum, vel ipſo teſte *Theophraſto Ereſio*, affirmant.

Quidam etiam ſimpliciter, nulla adhibita vocis diſtinctione, a planta deriuant, vt *Kyberus in Herbar. trilingu. p. 334. & Ruellius de ſtirp. natur. p. 276. c. 20.* citra aliam additam notionem. Vnde dicitur aliis, quaſi plantam ago. Omnium optime vero a plantando, quo de legi poteſt *Becmannus l. de orig. L. L. p. 1157.* Vi analogiæ ſcilicet, a plantatum audit plantago, vt a voratum vorago, *Abſchlund, Abgrund*, a profunditate; idem & in aliis valet, vt ſolidago, propago, imago, q. d. imitago, dicuntur.

Celebrauit & Themiſo medicus vulgarem herbam, plantaginem, tanquam inuentor, volumine de ea edito. Vid. *Plin. hiſt. natur. l. 25. c. 8. Salmaſ. Exercit. de homon. hyles iatr. in prolegom. p. 5.* Idem de Chryſippo, (qui ante Themiſonem vixit, vt medicorum Cicero vult *Celſus in præfatione,*) *Tragus in ſuo Herbario* refert. *part. I. p. 87,* eum quoque de hac herba compoſuiſſe librum, qui cum Themiſonis illo adhuc a curioſioribus deſideratur.

Cumque de inuentione plantaginis mentio facta fuerit, eamque dudum ante Themiſonem deſcripſerit *Theophraſtus Ereſius*, velut primus, non inconſultum fuerit, conſulere medicorum Primatem, *Hippocratem*, annon ille plantaginis meminerit?

Affirmatiuam nobis liceat tueri ex duobus præcipuis locis. Primus eſt *l. 7. Epid. c. 3. t. 11.* vbi dyſenterico, *ſcribit*, cum non deſinerent egeſtiones, & ſemper bilioſæ eſſent, τὴν ἐν τῷ ἀλεύρῳ βοτάνην ῥοφέοντι, *abſorbenti herbam in farina*, bilioſas egeſtiones & dolores ad tempus aliquod mitiores fa-

ctos

ctos eſſe. Credibile videtur per herbam *κατ' ἐξοχὴν* appellatam plantam, ſeu plantaginem, cur enim non nominaſſet, ſi nota fuiſſet alio nomine, & quidem huic morbo ſpeciatim dicatam?

Alter vero adhuc clarior extat, *l. de vlceribus c. 11. text. 11.* *ποίη*, inquit, *ἧς τὸ φύλλον ὅμοιον ἄρῳ τὴν φύσιν* (*λευκὸν δὲ χνοῶδες κατὰ κισσοῦ φύλλον τὸ μέγεθος*) *ἄυτη ἡ ποίη σὺν οἴνῳ ἐπιπλάσσεται.* *Herba* (eſt) *cuius folium ſimile eſt aro natura, verum album, lanuginoſum, ad hederæ folii magnitudinem. Hæc herba cum vino imponitur.*

Enimuero in confeſſo eſt, plantaginem eſſe ex genere *τῶν ποωδῶν*, *herbaceorum*, quo refert ipſe *Ereſius l. 7. Hiſt. Plant. c. 9. p. 143.* eſt *χνοώδης*, quoad folia reſpectiue, *Coo*, vt *ἡ ἄνθησις* quoque *χνοώδης*, *floſculus lanugineus* ſeu ſtamineus exit.

Potiſſimum vero argumentum fuerit, quod *ἡ ποίη Hippocratis* hæc concordat cum deſcriptione. Cum enim *πλατύφυλλον* vellet dicere, aro ſimile folium aſſignat; vt diſtinctius, duo affert, latitudinem illam addit reſpondere in genere, ſed differre ſpecialius, ari folia ſunt tactu magis delicato, viridiora, non ita mollia, nec ita æqualia in intimiori verſus caulem ambitu, adeoque vtroque modo media inter folia ari & hederæ arboreæ proprie dictæ, procerioris, erectæ, qualis in Belgio non rara viſitur, & a *Dodonæo* v. g. depingitur.

Concordat eadem cum *viribus*; cum enim tum ſicca, tum liquida vlceribus, quæ ſiccari deſiderant, proponat, hoc ipſum, licet actu humidum non incommodum eſt, ſed omnino cum vino aptiſſimum.

Quæ vero ex *Galeni* expoſitione vocum Hippocraticarum, ex variante lectione, opponi queant, inpræſentiarum attingere, non opus eſt. Sufficit, Hippocraticam lectionem & minus variare, ſed magis conſtantem eſſe, & rei ipſi per omnia magis quadrare, vt non opus habeat correctione, ſua luce coruſcam, obſcuram vero longe magis alteram Galenicam.

Nec obſtat, *Foeſium in comment. h. l.* ſimilitudinem cum

aro

aro exponere quoad ſaporem, vnde omnino non facile ipſi fuit diuinare, quamnam herbam intelligat huius naturæ. Addit quosdam bechii folium intelligere, quod ipſe quoque non probat. Sed ſi ponamus, *Coum* deſcribere herbam ad ſimilitudinem aliarum, quoad figuram quidem foliorum ad inſtar ari, quoad magnitudinem hederæ arboreſcentis, res, quantum nos coniicere poſſumus, videtur clariſſima. Accedit vſus laudatus iam conformis rei, extergendi, ſeu mundandi & ſiccandi.

Vt *plantaginis* vox apud Latinos celebratur, ita apud Græcos ἀρνόγλωσσον audit, q. d. *lingua agnina*. Notari vero hic meretur, in neutro genere dici, non ἀρνογλῶσσα, in fœminino, quod idem de bugloſſo, cynogloſſo & aliis valet, licet vulgo aliter efferant, ſed minus accurate; ſiquidem notanter id Græci fecere, vt innuerent, non linguam ipſam vocandam, ſed linguæ aliquam ſolum ſimilitudinem, cum ſimile non ſit idem, ratione figuræ ſcilicet, vt aliud eſt humanum, aliud hominem dici.

Idem vero nomen de Plantagine maiori prædicari, obſeruarunt probe *Witebergenſes in Taxa*, quam vocant, & alii. Quamuis enim non differant virtute, ſed in quamplurimis ſeu omnibus conueniant, viribus, εὐχρηστότερον tamen maiorem iam dudum dixit *Anazarbeus l. 2. c. 153.*

Varia vero hodie plantaginis dantur genera, licet duo ſaltim apud *Dioſcoridem, Galenum, Oribaſium, Sempionem, Apuleium, Plinium* aliosque celebrentur; *maior* ſcilicet, & *minor*. Illa in ſpecie plantago audit, ob folia maiora, & virtutem eminentiorem, quam habeat præ reliquis, quamque Græci καθ' ἐξοχὴν ἀρνόγλωσσον vocant; hæc lanceolata vulgo dicitur, quo de eleganter ſatis *Macer* Poeta cecinit, quod merito huc referendum:

Herba quæ noſtra lingua plantago vocatur
Hanc ἀρνόγλωσσον Græcus vocat, eſt quia linguæ
Agninæ ſimilis. Foliis plantaginis hujus
Sunt geminæ facies & maior prima vocatur,

Altera

Altera vero minor, quam vulgo lanceolatam
Dicunt, quod foliis, vt lancea ſurgat acutis.

Quidam plantaginem & ἀρνόγλωσσον diuerſas eſſe ſpecies contendunt, vt *Theophr. Paracelſus de virtutibus herbarum in Schol.* ad hæc *Macri* verba, idque ex diuerſis harum virtutibus probat, tum illi ſtypticam ac frigidam, huic vero ſiccam, calidam ac reſolutivam attribuit vim. Aſt applauſum non inuenit, cum minus eum accuratum fuiſſe botanicum conſtet. Accedit & hoc, omnes fere veteres, Græcos & Latinos, in hoc conſentire, & ἀρνόγλωσσον plantaginem ipſiſſimam, vno ore omnes fateri.

Vt autem omnium artium ac diſciplinarum conditio a primo inuentionis tempore leuis, ſimplex ac minus accurata fuit: ita profecto ſtudium botanicum, quod ab initio, elogio *Senecæ,* paucarum tantum fuit herbarum, (ex quibus medicina ortum traxit,) paulatina dein acceſſione increuit. Licet Chiron Centaurus, Æſculapius eiusque filii herbarum ſcientiſſimi vocitentur, vt taceamus *Crateuam* apud *Coum,* & *Antonium Caſtorem* apud *Plinium*, imo *Apollinem* ipſum, quo de *Ouidius l. 1. metamorph. fab. 13.* ſic gloriatur:

Inuentum medicina meum eſt, opifexque per orbem
Dicor, & herbarum ſubiecta potentia nobis;

attamen quanta quanta etiam illa veterum de herbis notitia referatur, confuſa ſæpe ac minus accurata fuiſſe putatur, quod perturbata nominum copia ac ordo haud congruus edocet, quæ nullo modo hodiernæ accuratiori, quamuis non omni numero abſolutæ, comparari poſſit.

Vocarunt Græci primi generis ſpeciem, præter dictum arnogloſſæ nomen, quatenus ſignet linguam ouinam, προβάτειον, ἄρνιον, ſeu ouillam herbam, παρθενηλοδάθιον, πολύνευρον *multinerueam*, ἑπτάπλευρον, quam Latini, Graia vt ſolet fieri imitatione, *ſeptinerueam* a neruis, vel tubulis potius, ita vocarunt, qui per eiusdem folia longitudinaliter ſeptem numero vel plures a radice ad apicem vsque aſcendunt, ad plantæ robur, conſiſtentiam & nutritionem facti. Audiunt hi alias

lias nonnullis coſtæ, vt annotauit *Spigelius Iſagog. in rem herbariam c. 3. p. 24.* Hinc quibusdam coſta equina dicitur haec herba.

Præter morem fere ſuum *Theophraſtus Ereſius* in ſynonymis hiſce delectari videtur *l. 7. Hiſt. Plant. c. 10. p. 146.* vbi primo loco nominatur ὁ στελεφοῦρος, tanquam magis tum vſitata forte appellatione: ὑπ᾽ ἐνίων ἢ ἀρνόγλωσσον, τῶν τε ὄρτυξ καλούμενος, *plantago agnina lingua a quibusdam vocata, & ab aliis coturnix.* Tacemus alia plura ſynonyma a *Stapelio in comment. in h. l. p. 843. Apuleio cap. 1. Bock. in herbario p. 84.* & *Menzelio in Indic. nom. plant. vniuerſ. p. 245.* aliosque recenſita.

Non deſunt, qui eandem quoque κυνόγλωσσον vocant, non autem, quatenus canis linguam repræſentet, vt temere *Apuleii* vult *Commentator*; ſed quod plantæ κατ᾽ ἐξοχὴν cynogloſſæ dictæ foliorum ratione ſimilis ſit; κυνόγλωσσον vero caninæ ſimilis dicitur linguæ, quod ipſum Graiorum exprimit vocabulum, & folia plantaginis habere *Dioſcorides l. 4. c. 113. Ruellius c. 129. p. 635.* & *Plinius lib. 25. Hiſt. c. 8.* refert.

Præſtat hinc ſcapham ſcapham appellare, ad devitandam rei confuſionem, quæ ex abuſu nominum liberaliori ſæpe oritur, quo fit, vt confundatur nomen cum ipſa re. Cynogloſſum namque, ſeu canina, vt Romanis appellatur, lingua, probe a plantagine diſtinguenda. Eſt enim hæc foliis molliuſculis, lanuginoſis, nonnihil venoſis, albicantibus, plantaginis latifoliæ arctioribus, caule rotundo folioſo, ramoſo, incano, floribus rubellis ſeu puniceis, aliis conſpicua viribus.

Ruellius vero *l. 3. c. 129. de ſtirp. natur. p. 635.* hancce herbam ſic depingit; Cynogloſſa, *inquiens*, plantaginis latifoliæ ſimilis eſt, anguſtioribus & minoribus foliis lanuginoſisque, ſine caule humi ſtrata ſabulonibus. Quo ex fundamento affirmare conatur, eam, quam in officinis noſtris aſſeruamus, & ad vſus impendimus, non eſſe veram cynogloſſam, quoniam nec plantaginis effigiem, ſed anguſta, prælonga, ſubtus lanuginoſa folia repræſentet, cum cubitali caule ſurculoſo &c. quæ *l. c.* latius videri queunt; ſed hæc obiter.

Ad noſtram vero vt reuertamus, ac in Latio conſuetas quoque denominationes audiamus, fas erit. Vocatur itaque laudata hactenus plantaginis ſpecies, præter ea Græcorum more recepta nomina, cum additamento maior, vel latifolia, centineruea item; nobis vero *Groß-Breit Wegebreit, Wegerich*, vel, *Schaffzungen, Ballenkraut, Wegetritt*, quaſi herba in via calcata, quo de videatur *Braſauol. Exam. Herbar. p. 70.* ſecus vias enim vbiuis creſcit apud nos, & in pratis, paſſim obuia.

Apud *Moriſonium in Hiſtor. Plantar. Oxonienſ. Tom. 3. c. 37. p. 257.* vocatur *herba ſtella,* ob folia a radice ſeu centro radiatim ſparſa; aſt minus, vt videtur, felici cum ſucceſſu, cum detur peculiaris herba ſtella dicta, a plantaginis quidem generibus haud aliena, ne confundamus hanc cum illa, quo de optime *Dodonæus in ſtirpium hiſtoria Lib. IV. Pemptad. I. c. 23. p. 108.* agit.

Alteram porro *Dioſcoridis*, & aliorum veterum, quod attinet ſpeciem, appellatur illa Græcis *πεντάνευρον, ἢ τρίνευρον, quinqueneruea* vel *trineruea*, quo de vlterius laudati ſupra Autores videri queunt; Latinis *plantago minor, lanceolata, coſta equina* vel canina, media item vel alba, dicitur Germanis *ſpitzig Wegerich.*

Recentiores vero ac curioſiores illis, plures plantaginis obſeruarunt ſpecies; latifoliæ enim tredecim, anguſtifoliæ vero decem obſeruauit ſpecies *C. Bauhinus in Pinace*, quas ibi ordine videre licet *p. 189.* ne *Tabernæmontani, Moriſonii, Raii,* imo ipſius *Turnefortii* differentias huc referamus.

Vt congrue antiquis, & rei ipſi in aſſignandis differentiis procedamus, commodiſſime omnes quaſi ſpecies Plantaginis concipere licebit, ſi ſtatuamus primaria & ſumma duo genera. Ita enim *διττόν ἐστι*, iuxta *Dioſcoridem, duplex* eſt (1.) quatenus alia eſt *maior*, alia minor, ſeu (2.) alia eſt *anguſtifolia*, alia *latifolia.* Cum vero hæc latitudine quadam gaudeant, liceat nobis, doctrinæ gratia, ponere adhuc duo alia, ſubordinata, adeoque effectiue quatuor genera, ad exhauriendum totum illum ambitum magis. Alia enim ſic porro ſtatui

merito poteſt *media*, alia *minima*, vtraque cum vlteriori etiam latitudine.

Media tum ratione *magnitudinis*, vt ſit intermedia & velut ambigens vtrinque, inprimis cum etiam maior vel minor v. g. videatur non raro, pro ratione humidioris alimenti & loci, pluribus quoque neruis gaudere; tum ratione *contactus*, alia eſt magis glabra, viridisque & æqualis, quoad extrema & peripheriam, ambitum, & centrum ſuum; alia albidior paulo, magis hirſuta reſpectiue; illa herbidior, vt ita loquamur, ſeu herbacea, & ſic oleracea vel quaſi; hæc χονώδης magis.

Minima vero, non ſolum reſpectu longitudinis, & latitudinis, quæ minus caule aſſurgit, & magis anguſtis foliis gaudet, *gramminea* hinc merito dicta. Hæc, inquam, ſic concipi merentur quoad totam plantam, ſeu collectiue ſpectatis foliis, caulibus & reliquis. Attamen ſi ſemen cordi habeamus, omnino confirmatur eatenus duplex ſummum genus. Maior enim longiori ſpica gaudet & ab hac denominationem mutuatur. Minori vero minor contenta eſt, ſeu prædita, etiamſi folia nonnunquam & nerui, per dicta, paulo exporrigantur, quæ nota characteriſtica ſeminalis primam & ſummam differentiam confirmat. Media nihilominus luxuriat item flore, vnde plantago roſea, alia iterum magis ſpicata, ῥοδοειδῶς ſurſum erecta, alia reſpectiue minus & paulo latius velut criſpata hoc pacto, vel foliis ſeu petalis floribundis magis paulo plana.

In genere omnes in eo conueniunt, quod florem gerant ſtamineo-ſpicatum, floſculoſum, vel floſculoſo-folioſum, pro generis diuerſitate modo longiorem & craſſiorem, coma vel rubella, vel alba, vel ſulphurea quoque: modo breuiorem & graciliorem, lauendulæ vel ſpicæ inſtar, vel, vt *Ereſio* placet, ratione ſeminis rectisſime inſtar tritici, ſeu frumentorum in genere.

Quod vero Plantaginem aquaticam dictam attinet, tantum abeſt, vt huc pertineat, & ſub plantagine militet, & nominari mereatur, vt potius toto genere differat, & antiplantaginis fere titulum mereatur, quod & *Tragus* annotauit dudum,

dum, ſeu folia, ſeu flores, ſeu vires potiſſimum attendamus. Verbo, ἄλλοιον ἔχει τὸ γένος, *alitud habet genus.*

Hic vero occaſio eſt de generibus plantarum, quantum huius loci, & ad illuſtranda dicta, eſt, quædam vel obiter delibare. Tantum enim abeſt, vt nouum quid ſit, hæc noſſe, vel proponere, vt potius idem iam olim princeps botanicorum & philoſophorum, vtpote ſucceſſor Ariſtotelis, poſteritati tradiderit, laudatus *Theophraſtus Ereſius*, adeoque doctrina hæc eſt antiquisſima, licet veterum ſapientum libros non legentibus aliter videatur.

Enimuero vt florum ſaltim differentias laudemus: τὰ μὲν δή, ſcribit *l. 1. Hiſtor. Plant. c. 21. p. 22.* χνοώδη, τὰ δὲ φυλλώδη, *alii ſunt lanuginei*, (ſtamineos hodie vocamus,) *alii foliati*, qui petalis gaudentes audiunt, vt ſic folia florum rectius diſtinguantur a foliis herbarum, diuerſis nempe omnino. Ad priorem claſſem plantago ſpectat, proprie dicta; ſiquidem ſtatim ſic patet, aliam longe eſſe aquaticam, nec niſi ἀκύρως ſub eodem genere contineri vel locari poſſe, quod gaudeat, ne plura dicamus, cum capite thyrſi & flore ex rubello albeſcente tripetalo.

Agmen quaſi claudat plantago dicta graminea, vel, vt aliis placet, *Plantaginella, flore ſulphureo*, quæ eſt e minimarum genere, quamq; tum *Raius* deſcribit, tum *Moriſonus* quoq; *in plantar. hiſtor. Oxonienſ. Tom. III. cap. 37. p. 258.* vbi minorem auream vel alopecuroiden Braſilienſium vocat, foliis trinerueis gramineis, quam noſtratem, inter alias rariores & ſelectas plantas, etiam e vicinia obtinuimus, ſatis ſpecioſam.

Tali vero modo, omnes plantaginum ſpecies, rite examinatæ, facili negotio a coronopo, ac holoſteo, quæ plantæ foliis gaudent profunde laciniatis, diſcriminari poſſunt, de quibus vid. & *Tournefort. in Inſtitut. rei herb. Claſſ. 2. c. 4. p. 127. ſeq.* Sic & rumicis, oxalidis, aliſmatis, glaſti, gentianæ, volucri, veratri candidi folia, quæ ad plantaginum ſimilitudinem accedunt, vt & bifolium, perhibente *Ruellio l. c. l. 1. cap. 9. p. 28.* collatis illis diſcerni facile queunt.

Cum autem vocum definitio, quam hactenus proſecuti fuimus, nil accuratius edoceat, vt optime *Galenus lib. 3. de ſimplic. medic. facult. cap. 2.* annotauit, e re erit, vt ad ipſius realem nunc accedamus definitionem, & primum ſolum hac vice genus, & mole & virtute cæteris omnibus præſtantius, quoad formam externam exponemus, quo de vid. *Ebnſina lib. 2. tract. 2. cap. 436. p. m. 344.* It. *Dioſcorid. lib. II. cap. 153. p. m. 254.* & *Dodonæus in ſtirp. hiſtor. Pempt. I. lib. 4. cap. 23.*

Eſt itaque plantago planta vbiuis obuia, ex radice fibroſa, flore ſtamineo-ſpicato, ſemine mucilagineo, foliis terræ incumbentibus e rotundo-oblongis, latis, palmum ſæpius æquantibus, ac in apicem obtuſum deſinentibus, pediculo neruoſo vel potius vaſculoſo inſidentibus, ſeptem potisſimum vel octo neruis donatis, caule ſimplici, tenui, vno vel pluribus, rotundo, intus excauato, palmipedali, in ſpicam ſtamineo-floſculoſam abiente tetrapetalode, hypocrateriformi, ad varios vſus impendenda.

GENVS eſt planta, quod ipſi rei congruum, cum nomen inde capiat ſuum, tum ob virtutes enim, quas posſidet, polychreſtas, placuit & veteribus & neotericis ita vocare, tum ob frequentiam ſuam, cum nulli ferme denegetur regioni, in qua non copioſius iſtius conſpiciatur prouentus.

DIFFERENTIA vero a foliis deſumitur latioribus, neruis, ſeu coſtis, quas & fila vocarunt veteres, vigoratis; foliis lanceolæ ſtrictis ſeu anguſtis acutum apicem formantibus, oppoſitis, quamob rem hanc ſpeciem marem, illam vero fœminam non ſine iudicio ſalutarunt, quod hæc eſt prolifera magis, illa, & ſpicam longiorem & crasſiorem cæteris omnibus profert.

Omnes & ſingulæ partes plantæ huius dignæ forent excusſione & dilucidatione ſingulari. Enimuero non tantum demonſtrat quæuis planta Dei maieſtatem ſuo loco, ſed & quælibet pars plantæ. Vel vnicum iam ſemen ſi cordi habeamus, verbis ipſius *Ereſii*, οὐχ ἀνθεῖ κατὰ μέρος, ἀλλὰ δι ὅλου τοῦ στάχυος, *florem non particulatim edit, ſed per totam ſpicam,*

l. c.

l. c. l. 7. Hiſt. Pl. c. 10. p. 146. Iidem vero flores poſt ſe ſemen præſentant, & poſt ſe relinquunt ſuis capſulis incluſum, inferius ſtaminibus, ſuperius velut pileolo, ſeu capitulo, mitra, integumento, ſingulis tectis, non ſine ſingulari & admirando artificio.

CAPVT II.

De *Qualitatibus & affectionibus Plantaginis.*

OPtimam philoſophandi rationem etiam in plantis eſſe primorum principiorum conſiderationem, dudum agnouit acutiſſimus *Theophraſtus l. 1. Hiſt. plantar. c. 3. p. 5.* ſumpto a primis initio: πρῶτα δέ ἐστι, τὸ ὑγρὸν καὶ θερμόν. Ἅπαν γὰρ φυτὸν ἔχει τινὰ ὑγρότητα καὶ θερμότητα σύμφυτον, ὥσπερ καὶ ζῶον. *Sunt autem prima humidum & calidum. Omnes enim plantæ humorem caloremque ſibi inſitum quendam poſſident, ſicut etiam animalia;* & reliqua.

Hoc ipſum ponendorum fundamentum eſt, tum elementorum, ſeu materiæ primæ & ſecundæ, ſeu mixtorum ex iis ortorum, vel compoſitorum, tum inde conſurgentis temperiei, ſeu qualitatis, eiusque duplicis, tam mixti, quam viuentis.

Cum itaque in corpore humano viuente vtraque hæc detur, merito in medicamentis, tanquam alterantibus ad ſtatum naturalem, noſcenda & exploranda eſt eadem, & conſequenter vires, quas poſſideant, & exerere ad votum medici ac ægri queant.

Metiendæ hinc ſunt, vt in aliis, ita etiam in plantagine, hæ qualitates, vires & effectus proportione geometrica illa, erga corpus noſtrum comparata, quem finem, quem effectum edere poſſint. Hinc elegantiſſime *diuinus ſenex,* πάντα φάρμακά, *inquit,* εἰσι τὰ μεταχινέοντα τὸ παρεόν. *Omnia medicamenta*

ſunt

ſunt præſentem ſtatum tranſmouentia; vbi egregia plura tradit & continuat addere *l. de loc. in hom. c. 55. text. 1. ſeqq.*

Notabilis eſt terminus, quo vtitur, quaſi dicat, alium motum inferentia, vt in ordinem, in circulum, in ſphæram ſuam redeant eccentrici, deficientes, excedentes humores, ſanguis, lympha, ſpiritus, bilis & reliqui, alimentarii & excrementitii, vnicuique vitio debita & appropriata medicamina; per *τὸ παρεὸν* vero intelligit indicans, exiſtens, agens, lædens, præſens, & ſic ſui vel remotionem requirens, vel liberationem.

Medico parario, ſupremo omnium moderatore & directore, itaque huic motui proſpicitur. Hæc clauis eſt omnium iuuantium & nocentium, motus omnis debetur huic calido mouenti, & humido moto & mouendo, qua ſine non niſi empirice proſpicitur ægris, illa vero adhibita dextre genuina patet agendi & applicandi ratio.

Calor principiis formæ, humidum materiæ magis velificatur, vtraque abſoluunt omne punctum, etiam noſtro hoc loco & ſubiecto. Imo ex his quoque claret & lucem mutuatur doctrina qualitatum v. g. primarum, quod videlicet primis illis *Ereſianis*, vel rei potius debeantur & ab illis denominentur, ac reſultent, vnde facilis progreſſus iam datur, de iis philoſophandi vlterius congrue.

Quod itaque plantaginem attinet, optime hac methodo proſequi eius διάσκεψιν & examen poterimus. Enimuero in qualitatibus primis, ſi non omnium, plerorumque tamen medicorum conſenſu, *frigida* & *ſicca* pronunciata eſt, plurimis iam ſeculis, & quidem gradu ſecundo, neque facile quis diſſenſerit, qui rationem & experientiam arbitram elegerit. Sin manſiones addere velimus, non vltra primam aſcendere æque licuerit.

Quamuis enim *Æmilius Macer l. c. de virib. herbar. c. 6.* de qualitate actiua diſſentire videatur, & calidam potius ac ſiccam, & tertio quidem gradu, ſtatuere; attamen aſſenſum nullum in hac contradictione meretur. Ita vero de foliis plantaginis canit:

His

His inflammandi deſiccandique vocatur
Tertius eſſe gradus. - - - - - -

Si dicamus, quod res eſt, deceptus fuit lectione *Plinii*, qui *l. 25. c. 8.* ſcripſerat: vis mira in ſiccando denſandoque corpore, *cauterii vicem obtinens.* Cum enim id aſſeruerit de exſiccante & adſtringente virtute, *denſare* pro *adſtringere* vocans, non eo ſenſu id intelligere voluit, quaſi calida vrenteque virtute id præſtet, ſed ſaltim illo ſenſu: cum alias ignis cruſtam inducendo potenter exſiccet & adſtringat, ſiſtatque hæmorrhagias & fluxiones alias, huius vicem obire quoad virtutem potentialem plantaginem, idque non ſolum externe, vi contextus, ſed etiam interne.

Ne ſine autoritate id aſſeramus, quatenus vnanimem conſenſum, ab examine præuio ortum, probare ſic integrum eſt, primum locum merito occupat *Pergamenus.* Hic *l. 6. de ſimplic. medic. facultat.* Habet, *inquit*, quiddam aqueum frigidum, habet item auſterum quiddam, id quod terreum eſt, ſiccum, frigidum. Itaque refrigerat ſimul & deſiccat, & in vtroque ſecundi exceſſus a mediis eſt.

Teſtatur id ſapor auſteriuſculus, ſi deguſtentur accurate folia, etiam recentia, vnde ad terreſtriores plantas referuntur, ſaltim ex prædominio. Habet & aqueas partes & acidas, terreis immerſas, auſteras, adeoque omnino frigida & ſicca ſtatuitur. Confirmat idem *Ebnſina lib. 2. tract. 2. cap. 436. p. m 344.* qui id ex *Galeno* deſumpſit: adeoque ♂ti non adſcribenda.

Confirmat idem olfactus examen, odoris enim, præterquam herbacei, expers eſt, indicio manifeſto, particulis minus ſubtilibus, ſulphureis & ſali volatili debitis, pollere; inprimis vero ipſa *ἐγχείρησις* chimica ocularis, deſtillata enim *aqua* ex foliis ipſis odorem habet ſiccæ, & ſaporem herbaceum, ſeu affuſa aqua, ſeu ex ſucco placeat parare eandem.

Radix retortæ vitreæ indita, ex arena deſtillationi ſubiecta, exhibuit nobis primum *phlegma*, deinde *ſpiritum* acidulum, tartari æmulum, denique *oleum* empyreumaticum, ſpiſſius cæteroquin ſeu craſſius, & ſubamarum, ne de ſale alcalico

C dica-

dicamus, quod ex reſiduo capite mortuo etiam haberi poteſt.

Sicuti vero temperies hæc, ſeu qualitas frigida & ſicca, toti plantæ in genere competit & tribuitur merito; ita, qui curatius id æſtimare volunt, agnoſcunt in hoc gradu quandam differentiam, idque præeunte ipſo *Galeno l. c.* tum quoad partes plantæ, tum quoad recentes vel ſiccas. Ita ſemen & radicem ſimilis eſſe facultatis, ſed paulo remiſſius, in vtraque qualitate, radices item craſſiorum partium, ſemen, ſeu fructum ſubtiliorum, quod itidem in foliis ſiccis agnoſcunt.

Aſt exiguum illud diſcrimen fuerit in effectu, niſi quod omnia ſiccata, vtpote minus aquea, magis ſiccent, difflata humiditate, recentia magis humectent. Sequuntur hoc aſſertum reliqui, *Dodonaus in ſtirp. hiſtor. pempt. 1. Lib. IV. p. 108.* it. *Caſp. Schwenckfeldt. in Catalog. ſtirp. & foſſil. lib. 1. p. 159. ſ.*

Quamobrem fieri quidem, pro re nata, circa hæc quædam electio poteſt, vt, certo reſpectu, modo radicem, modo herbam, modo ſemina recipiamus, quæ ſeorſim mucilagine fœta ſunt; attamen generali vſu, ſeu ad effectus medicos communi, gaudent. Non aliter, ac idem, quod ad præparationes laudandas inde factas, diſtingui meretur, idque ſiue primas, ſeu reliquas æſtimemus qualitates hoc loco, quas iam viſere aggredimur.

Enimuero & *ſecundis* ſe commendat plantago, vt primis illis alterando, & ſic reſpiciendo temperiem, ita his *adſtringendo* & *roborando.* Ex laudatis enim principiis & moleculis etiam vt primario temperat, refrenat, adſtringit leniter, ita & ſecundario, quod ex ipſa quoque μίξει elementari reſultat, abſtergit, mundificat, cohibet, ſiccat, denſat, quod ex acidi terreique combinatione & legibus præſtat; neque enim hæc implicant contradictionem, vel aluminis & aliorum exemplo. Abſtergens v. g. eſt plantago ſalinum, ratione lenis acrimoniæ, aqueo auſtero inprimis debitum; abſtergens eſt ſulphureum blandum, demulcens, intuitu mucilagineæ ſubſtantiæ, quam fouet apprime ſemen.

Nec *tertiæ* qualitates indictæ relinquendæ, quas ſi reſpiciamus, particularum ſalino-ſulphurearum miſcelæ intimiori debi-

debitas, referendæ huc ſunt vires traumaticæ, roborantes, alterantes ſpecificæ. Imo ex occultis vulgo dictis, in iisdem laudatis fundatas, bezoardicas quoque, ſeu alexipharmacas & alias huc reponere licebit.

Et hic locus eſt memorandi ſingularem vſum. Famoſa nempe iam dudum eſt inimicitia inter araneam & ſerpentem, maxime vero bufonem. Sed cum fabulam hæc ſapere videri posſint ignaris, vel incredulis, operæ pretium eſt, adducere teſtes, eosque oculatos, & exceptione maiores.

Primus, quantum nouimus, idem referens, eſt *Eraſmus*, qui in *Colloquio Amicitia inſcripto*, *p. m. 526.* Accepi, *inquit*, ab iis, qui ſpectarunt, ſimile disſidium eſſe araneo cum bufonibus, (ac retulerat intercedere cum ſerpente;) ſed bufonem ictum ſibi plantagine admorſa mederi. Confirmat hoc fabula, vt vocat, Britannica, de monacho, cui bufo dormienti os obſederat, ab araneo vero poſt tertium ictum interfecto hoſte liberatio contigerit. Vbi in commentario additur, monachum, alium ſcilicet, huius rei experimentum cum plantagine vidiſſe, & extirpata radicitus herba ſalutari, mortuo bufone, inde compertum habuiſſe, plantaginem contra venena, & venenatorum ictus multum facere.

Alter teſtis oculatus eſt *Ioachimus Tanckius* Med. Doctor. & Profeſſor Lipſienſis, qui M DC IX. in præfatione promptuario Alchimiæ præfixa *p. 22.* hiſtoriam conſimilem recenſet: *Es trägt ſich einsmahl zu, daß in einem dorff, ſo nicht gar weit von Leipzig gelegen, ich verreiſſet, und wie ich neben denen, ſo bey mir waren, die Kirche beſehen wolte, begiebt ſichs, daß eine groſſe Kræte zu der Kirchthür hüpffen und eilen wolt: wie ich ſolches geſehen, ſtehen wir ein wenig ſtille, anzuſchauen, wo ſie hinaus wolte. Wie ſie nun gleich unter die Kirchthür kommen, läſt ſich eine groſſe Spinne von oben herunter, ſo über der Thür ihre Wohnung angeſchlagen, und ihr Gebæude aufgerichtet, und fæhret geſchwind auf die Kræte, ſticht dieſelbe, daß ſie darüber einen hellen Pfiff thut. Wie der Stich geſchehen, fährt die Spinne geſchwind in die Hæhe, in ihr Hauß, alsbald leufft die Kræte auf, und geſchwillet, wendet ſich doch umb, und*

kreucht gar unvermœglich zurück, ohngefähr 6. Schritt von der Kirchthür, zu einen Kräutlein, auf deutſch Wegbreit, *lateiniſch* Plantago *genandt, von den Blättern iſſet ſie, und wird darauf alsbald geſund, und die Geſchwulſt ihres Leibes ſetzet ſich, daß nichts daran zu ſpühren geweſen. Sie machet ſich zum andernmahl auf, und hüpfſet wieder fort zur Kirchthür: wie ſie da hin kœmmt, läſſet ſich die Spinne gar geſchwind wieder herunter, und ſticht ſie abermahl, ſie thut wieder einen hellen Pfiff, läufft abermahl dick auf, und macht ſich wieder zum vorigen Krœutlein Wegebreit, wie ſie abermahl davon gegeſſen, geneſet ſie, und wird geſund. Sie läſſet auch zum drittenmahl nicht ab, will noch in die Kirche hinein, und hüpffet wieder ſtracks zu der Kirchthür, wie ich diß neben dem Paſtore und andern Gefahrten geſehen, ſchneide und reiſſe ich das Kraut weg, und verſcharre die Wurtzel. Wie nun die Krœte zum drittenmahl an die Thür kömmt, iſt wieder die Spinne geſchwind vorhanden und ſticht ſie, die Krœte thut wieder einen hellen Pfiff, leufft auf, und eilet zurück zum Kraut Wegebreit: wie ſie aber ſolches nicht findet, ſtehet ſie ſtille, leufft ſehr dicke auf, thut helle Pfiffe, überwirfft ſich und ſtirbt.*

Tertium exemplum laudat *Helmontius*, quod in *Tumulo peſtis p. 886.* ſequentibus verbis exprimit: Enimuero Domina de Rommerswale, Toparcha in Ecchoue, nobilis, affinis & proba matrona, mihi in candore retulit, ſe quondam toto pomeridie ſpectaſſe duellum araneæ & bufonis. Hic enim, dum ſe ſuperne ab aranea deſcendente ictum ſentiret, & capite confeſtim ſe intumeſcere: confugit ad herbam, quam lambebat: ac celerrime curatus, detumuit, vnde iteratam pugnam aggreſſus, iterato quoque ictus fuit in capite, & ad eandem herbam properauit. Idque dum iam tertio accidiſſet, ſpectatrix, tædio affecta, plantam cultro excidit, (erat autem plantago anguſtifolia,) dumque eo quarta vice bufo rediret, nec iſtam herbam reperiret, celerrime totus intumuit, & terrore percuſſus, mox obiit. Hactenus *Helmontius*. Et quidem cauſam mortis & exitii bufonis non tam refert in antidoti efficaciam, quam tamen bufo expertus erat, tribus diſtinctis vicibus

bus ac experimentis, quam in metus, & triſtitiæ, & terroris ideam, conceptam vnice refert.

Aſt hæc ratio vix ſatiat animum ſciendi auidum, inprimis cum minus conceſſæ hypotheſi innitatur. Rectius forſan ſtatuerimus, acrimoniam veneni araneæ fermentifici, illatam per morſum bufoni, a comeſta plantagine infractam, mitigatam & retuſam, ne principia vitalia potuerit deſtruere, ſed illa ſic illibata manſiſſe; ductu naturæ occulto, bufoni inſinuata.

Non aliter ac ceruus diptamnum, vrſus arum, feles valerianam, nepetam, marum verum, alia bruta aliis gaudent, ac aues quædam alſinen, ſenecionem & ſic porro deperiunt, quærunt & medicaminis loco adhibent. Ex quo experimento hinc hominibus innotuit occaſio inueniendi & deprehendendi vires non paucas ſpecificas, id eſt, indicationi ſpecificæ debitas, & ſic hoc caſu dicto antidotum, ob vim, quam poſſidet, maſſam ſanguineam ſerenandi, heterogenea abſorbendi, inuertendi, eliminandi ac diſſipandi, eiusque conſiſtentiæ tutandæ. Et hinc inter alexipharmaca communia merito refertur a *Sennerto l. 5. Inſtit. p. m. 969.* qui tamen, huius experimenti ignarus, inter ſpecialia alexipharmaca aranei puncturæ huius antidoti non meminit.

Tacemus, olim & inter olera relatam, vnde λαχανώδην, *oleraceam*, ſeu braſſicæ vel betæ ſimilem vocat *Dioſcorides loc. cit. l. 3. c. 153.* quod & de medicamentoſis & alimentoſis prædicat, ἀντὶ σεύτλων, *in locum betæ* coctam. Confer. *Stapelius in Comment. Theophr. p. 848.*

Lucem his fœnerare poſſumus ex *diuino Sene l. 2. de diat. c. 27. t. 1. ſeqq.* Ibi enim manifeſto diuidit olera in hortenſia & ſylueſtria, & ex his τῶν ἀγρίων ὁκόσα δέ ἐστι στρυφνὰ καὶ αὐστηρὰ, στάσιμα, *quæ autem acerba & auſtera ſunt, aluum ſiſtunt.* Ex horum claſſe eſt plantago quoque. Vna etiam ex horum recenſione liquet, partim explorandi qualitates & effectus ſimplicium morem & rationem eſſe antiquiſſimum, etiam in ipſis alimentoſis; partim ſubinde quædam ex vſitatis etiam oleraceis proficua exhibere εὐπόριστα, & ipſa quoque mereri ex-

pendi quoad facultatem medicamentoſam. Imo & illud addendum, quædam exoleta, nec amplius hoc nomine vſualia eſſe, niſi extraordinarie.

CAPVT III.

De
Viribus plantaginis & vſu.

EXaminata ſic plantaginis temperie ac *μίξει* elementari, ad ipſius nunc vires & vſus nos conferemus. Medicus enim neglectis medicamentorum virtutibus inanis, qua de re eleganter *Ebnſina l. 4. f. 1. tract. 2. c. 8. p. m. 30.* Curans, *inquit*, eſt virtus, non medicus, quoniam medicus eſt miniſter faciens inſtrumenta ad virtutem. Cum vero omnis virtus operationis exiſtat initium, teſte eodem *l. 1. f. 1. doctrin. 6. c. 1. p. m. 70.* merito hic recenſendæ veniunt & huius quoque virtutes, vt ſatisfaciamus officio noſtro.

In genere notandum, quod tantas huic autores adſcribant virtutes, vt ſi non omnes, pleraſque tamen fere hac vnica quaſi curare poſſimus hominum ægritudines: præſtat hinc eas ratione & experientia ſeligere.

VIRES & VSVS hi plantaginis & memoriæ & commodioris diſtinctionis ergo tribus dictis verbis comprehendi potiſſimum poſſunt, quod ſit *alterans*, *traumaticus* & *adſtringens*, ad quæ tria reliqua, vel ex his mixta, vel affinia quoque referri queunt, tum interius, tum exterius.

ALTERANDI vſus excellit in febribus, non ſolum ob partes aqueas, ſed & ſalinas terreas præcipitantes, temperantes egregias.

Radicem in *febribus* abigendis peculiariter efficacem deprædicat *Fernelius in vniuerſ. medicin. Lib. V. cap. 3. p. 381.* eandemque in febri tum tertiana, tum quoque quartana conuenire tradunt, inprimis *Dioſcorides*, *Ebnſina*, *Caſtor. Durantes in hort. ſanit. p. 767.* & alii. Quod vero addunt, radices nu-

mero tres in vino coctas, tertianam, quatuor vero quartanam abigere, non tam ſuperſtitionem ſapit, quam quartanæ vt maius pondus; ita & virtutem deberi. Ingreditur hinc commode *infuſa febrifuga*, cum aliis. Succus quoque eiusdem ipſe antifebrilis eſt; & nouimus hoc modo curatam tertianam.

Non minus vero in *febribus continuis* & malignis, idem valet, non ſolum ſecundario vſu ad ſymptomata, ſed & primario. Præter experimentum enim araneæ & bufonis, duo inſignia loca laudari hic merentur. Primus eſt *Iohann. Agricolæ Ammonii medicin. herbar. p. 192.* Plantaginis, *ſcribit*, vim egregiam plerique ſunt experti in lue peſtilentica, in qua ſæpe tam inſigne de ſe hoc ſimplex ſpecimen præbuit, quibuscunque adminiſtraretur modis, quantum non aliud vllum.

Confirmat idem experimentum *Monauius in Conſiliis Cratonis a Scholzio collectis*, vbi a Chirurgo aulico ſeniori Cæſareo arcani loco ſecum communicatum refert, ſe in multis peſtilentialibus conſtitutionibus fuiſſe, & ſua manu infectos plurimos tractaſſe, ſemper tamen a contagione immunem permanſiſſe, quod ſecum geſtauerit radicem plantaginis maioris, ſacculo incluſam, & cum filo regione cordis adaptatam. Vt res celetur, pulueris lauendulæ aliquid admiſcere ſolitum, & hinc inde diſtribuere. *Epiſtol. 248. fol. m. 463.* Ex quo idem repetit *Camerar. Syllog. memorabil. cent. 3. hiſt. 34. p. 137.*

In *febribus* quoque *ardentibus ſymptomaticis*, ex vulneribus, decocti plantaginis vel eſſentiæ vſum probat *Frid. Hoffmannus in claue Schröder. p. 524.* quod vtrique indicationi reſpondeat.

Sic quoque in inflammationibus, tumoribus, & reliquis oculorum auriumque affectibus, tum ſuccus, tum & ipſius aqua laudatur, quod idem laudati iam autores affirmant, vt taceamus alios morbos externos, vitia v. g. ani, vbi herba contuſa ac impoſita non minimum adfert ſolamen.

In *inflammationibus* ac *eryſipelate* ſuccus cum aqua temperatus a *Ioh. Dan. Mylio in Baſilic. chimiatr. Serapione*, *Re-*

podæo

nodæo aliisque commendatur. Præſtat tamen abſtinere hiſce humidis, repellentibus, ne ex hoſpite incolam faciamus, & obſtruendo poros, malum exacerbemus: melius vero folia cum cimolea & ceruſſa ſuper eryſipelas ponit *Ebnſina l. 2. tract. 2. c. 436. p. m. 145.* cuius loco hodie tutiora adhibentur.

Notabilis extat relatio apud *Artemidorum l. 4. de ſomnior. interpr. c. 24. p. 237.* Mulier circa mammam inflammationem habens, viſa eſt ſibi ab ouicula exſugi (in ſomnio;) & arnogloſſam, herbam plantaginem Latinis dictam cataplaſmatis modo imponens, ſanata eſt.

In *morſibus animalium* venenatorum ſuccus plantaginis quoque extollitur. Scorpionibus aduerſatur, teſte *Plinio l. 25. c. 10.* ad ſcorpionis ictum radicem alligatam, ad ſerpentis vero morſum plantaginem tritam ex vino ſumtam commendat *Apuleius l. c.* Idem valet de morſu canis rabidi, cum aceto & ſucco plantaginis ocyus eluendo.

Radicem in ſubſtantia mundatam & auribus impoſitam inſtar incantamenti dolorem dentium ſedare ſcribit *Simon. Pauli in quadripart. p. m. 485.* quod temperandi vſui adſcribentum fuerit, ob conſenſum faucium cum auribus. Sic quoque ſi laudatæ radicis portio denti excauato intruditur, tunc ad tempus leuamen quoddam adfert, vt ipſi notauimus. Idem vero præſidium præſtare poteſt decoctum radicis plantaginis, per ſe & cum aliis.

Maxime porro conſpicua & laudatiſſima eſt plantago, inter TRAVMATICA, ſeu vulneraria. Commendat illam hoc nomine virtus alterandi iuxta, ac roborandi & exſiccandi, quo de vid. *Dioſcorid. l. c.* Particulis enim pollet ſalinis cum terreis remixtis, quarum ope etiam abſtergit, mundificat, & hinc ſuo modo quoque conſolidat.

Vtut vero negare id videatur *Craanius obſeruat. in Sennertum de auxiliorum materia p. 45.* vbi, nullius eſt momenti, *ſcribit*; & *p. 93.* non facere ad rem: nullas tamen affert rationes in contrarium, vnde potius communem ſequimur conſenſum, & experientiam rationibus nixam. Sic *Ebnſina l. 2. tr. 2.*

c. 426.

c. 426. ob vim deſiccatiuam in vlceribus antiquis ac vulneribus recentioribus commendat. Bona eſt, *inquit*, vlceribus fraudulentis, & igni Perſico ambulatiuo, & vlceribus antiquis, & vulneribus profundis.

Eandem ob virtutem hanc *Theoph. Paracelſus in Schol. ad Macr. poemata de virtut. herbarum* deprædicat, quando dicit: Nulla eſt herba, quæ magis exſiccet & ſimul conſolidet, quam plantago. Si vulnus adfuerit, cum chelidonia confundatur & cum ſucco alterutri miſceatur, intingatur in eo pannus & imponatur vulneri, curat. Hunc in finem parat quoque cataplasma, quod ad omne vlcus & vulnus, inprimis vbi materia ipſa vitiata eſt, egregie faciat, & ſequentis eſt tenoris:

℞. *plantag.* ℔j. *chelidon. diapenſiæ* a. ℥iij.
hyperic. ℥ij. *mel. deſpumat.* ℔iß. M. f. l. a. cataplasma.

Sic ad omnia vulnerum genera, inprimis fœminarum, ſenum & infantium peculiariter conuenire *Plin. l. 26. c. 14. ſ. 87.* notat.

Notabile eſt, omnes autores, vno quaſi ore, plantaginem in fiſtulis, vlceribus profundis, ſinuoſis, ſerpentibus, rebellibus, antiquis ſummopere extollere, inprimis ſuccum e foliis recentibus expreſſum, ac eiusmodi vlceribus etiam ſiphonis ope iniectum, quo de latius videri queunt *Ebnſin. l. c. Apulei de medic. herb. c. 1.* inprimis *Serapio de ſimpl. ex plant. c. 233. p. 128. Plin. l. 26. c. 12. ſ. 78. Chabræus icon. ſciagraph. ſtirp. claſſ. 31. p. 498. Dodon. cap. 23. p. 108. Mathiolus in comment. ad l. 2. Dioſcorid. p. 374.* imo & ipſe *Dioſcorides*, ac eius *comment. Ruellius p. m. 255.* in omnigenis, *inquit*, vulneribus ac fiſtulis, principem locum tenet plantago.

Hoc ipſum vero cum grano ſalis eſt intelligendum, ceteris nempe paribus. Magis nempe id valet & locum habet in recentibus, præmiſſis vniuerſalibus, & ſpecialibus, pro modulo indicantium, cathæreticis, callum auferentibus, mundificantibus. Minus vero contra ea abſolute id ſperandum fuerit, in vlceribus eiusmodi ſinuoſis, inueteratis ac rebellibus,

quibuſuis, & quidem non omiſſis aliis, & cum expectatione debita, ipſa quandoque non omiſſa per ſyringotomum ſectione, ſi opus fuerit, fonticulis item & diuertentibus aliis. Neque enim vltra ſphæram actiuitatis ſuæ vel ſuccus, vel decoctum vel alia exinde parata agere queunt. Satis eſt, abſtergere, mundificare, ac materiam ad πτυασμὸν laudabilem redigere, idque vſu continuato.

Felix Platerus, in fiſtulis ac vlceribus eiusmodi curandis, in vſu habuit aquam, ex euphorbio, diſſoluto in ſucco plantaginis, vel aliis etiam pro re nata, addita myrrha & thure &c. paratam, vti videre eſt in *praxi eius p. m. 852.* Loco item citato, *Platerus* in dicto caſu ſequens proficuum proponit auxilium, recipit nempe auripigmenti tantillum, diſſoluit in aqua plantaginis, vel calicum roſarum, vel ſolani aliaue, & ſic diligenter applicare iubet.

Quod vero vulgus in vlceribus folia huius recentia applicat, indeque conſolidationem expectat, hoc ſane non raro fruſtraneum eſt, vlcera enim ſiccari deſiderant, hoc vero pacto minus id præſtatur, præterquam abſtergendo per ſuccum eiusdem, & cum aliis. Conſolidationem ſeu coadunitionem, vt ſic loquamur, potius impediunt, ob partes aquoſas, quibus referta.

Eandem ob cauſam in veſicatoriis vſum præſtant, vulnuſcula enim, poſt cuticulæ ſeparationem, ad meliorem lymphæ fluxum diſponunt, in ſtatu quo eadem conſeruant, ac nouam cuticulæ generationem differunt. Hic vero error vulgi inde eueniſſe videtur, quoniam *Dioſcorides* aliique foliis in genere vim exſiccatoriam ac conſtringentem attribuere, hinc promiſcue quocunque oborto caſu ea adhibent. In vulneribus recentibus ſuccus melius profuerit, ſiquidem eluit, abſtergit, defendit.

Sic & radix, & ſuccus, & ſemen ad dentes, vitia oris, gingiuarum & faucium ſcorbutica purganda commendantur adhibita, quo de, præter *Dioſcoridem*, *Plinius l. 25. c. 13. ſ. 105. Apuleius*

de

de medic. herb. cap. 1. p. 22. Trunconius tract. 4. c. 2. de morb. inf. Ioh. Daniel Mylius in tractat. 2. Baſilic. chim. l. 7. c. 4. p. 1345. qui aquam plantaginis in iisdem affectibus commendat, *Caſpar. Schwenckfeld, in Catalog. ſtirp. & foſſil. l. 1. p. 159. ſ. Chabræus in Apendic. ſciagraph. ſtirp. Claſſ. 31. p. 498.* videri poſſunt.

Specifici vero loco commemoranda venit etiam plantago, & egregio alterandi & ASTRINGENDI vſu, in *dyſenteria*, cœliaca, diarrhœa & aliis alui fluxibus, quatenus abſtergit, putredinem arcet, partes roborat, tum in decoctis ac infuſis, tum aliis. De hoc, præter *Dioſcoridem*, *Apuleium*, *Plinium*, *Renodæus*, *Victor Trincauellus*, *tom. 1. p. 242. Caſtor. Durantes in hortulo ſanitatis p. 767. Fernelius l. 5. c. 3. p. 381.* & *c. 23. p. 412. Dodonæus in ſtirp. hiſtor. p. 108. Ioh. Danz. in Tab. ſimpl. medic.* aliique plures euolui queunt.

Relatum nobis certa fide eſt, de chirurgo quodam caſtrenſi, eum in Italia graſſante dyſenteria, morbo alias in caſtris frequentiſſimo, nihil aliud expertum magis & proficuum habuiſſe, quam decoctum radicis plantaginis maioris cum aceto, quo miranda præſtitit. Factum tamen aliquando, cum deficeret ei laudata radix, & ipſe chirurgus eodem morbo corriperetur, deſtitutum hac ſua radice, aliisque præſidiis, diem obire coactum fuiſſe ſupremum. Quod & in hæmorrhoidum fluxu herba ſic comeſta valeat, refert *Trincauellus loc. cit.*

Semen quoque in dyſenteria ſuum conferre ſymbolum, ex *Dioſcoride Caſtor Durantes in hortulo ſanitatis* annotauit, qui ſemen pulueriſatum, quod difficilius fit, cum ouo propinauit *p. 176.* & alii. Hæc & *Plinius l. 26. c. 28.* confirmat, quando dicit: ſemen plantaginis in vino tritum, vel ipſa ex aceto cocta dyſenteriam curat. Obſeruauimus etiam ſolum ſemen potui in linteo inditum eximie ſolari inteſtina eodem caſu.

Licet vero clyſteres in hoc affecto ex plantagine paratos reiiciat ac condemnet *Theophraſt. Paracelſus in Schol. ad Macri poemat.* ac meliorem effectum ex aqua aſſumta promittat; illud tamen gratis aſſeri videtur, cum optime hæc plan-

ta ad clyſteres, vt abſtergens, demulcens, parteſque inteſtinorum villoſas roborans, cum aliis recipi poſſit.

In *hæmorrhagiis* omnibus ſumme efficax allegatis Autoribus laudatur, non ſolum alterandi fine, refrigerandi putant, ſed & traumatico vſu & adſtringendi. Inprimis & ſuccum huius in profluuio vterino immodico commendat *Caſp. Hoffman. de medicam officin. l. 2. c. 176. p. 425. Theophr. Paracelſus* autem hoc in caſu recipit radicis plantaginis n. iii. cum aquæ iſtius ℥iß. idque mane ac veſperi vt probatum ac expertum propinat remedium, vti *p. 1075. in Schol. ad Macri poemata* videri poteſt.

Sic & prædicatur non immerito in mictu cruento, ſputo cruento, & phthiſi ipſa. Plantaginem eſſe in tabe commendat *Celſus l. 3. c. 22.* vbi & ſuccum medicamentum eius eſſe addit, quod & de tuſſi cruenta confirmat *l. 4. c. 4. p. 389.*

Prodeſt item non minima vtilitate in diabete, & paſſione diabetica. Succum ſanguinem exſcreantibus vtiliter conuenire *Galenus l. de ſimpl. medic.* confirmat, hinc eius decoctum hæmoptoicis haud ſine minori effectu propinari queat, quatenus leniter adſtringit, ſimulque abſtergit, diſcutit, mundificat ac roborat. Laudatus antea *Paracelſus l. c.* hæmoptoicis ſequentem parat potiunculam, ℞. ▽ *plantag.* ℥j, *hæmatit.* ʒß. M.

Notabile vero eſt & paradoxon quaſi videtur, quando inter aſtringentia & aperientia refertur, vti *Plinius l. 26. c. 15.* folia plantaginis pellere, menſes ſcilicet, ſcribit, & *Dioſcorides* aſthmaticis commendat: niſi velimus hæc intelligere certis caſibus, vel ſecundario magis, roborandi vſu. Vtut enim inter abſterſiua etiam numeretur, eodem reſpectu, ideo tamen non ſequitur eſſe aperitiuum, neque enim abſtergentia ſunt vnius generis.

Mittimus alios quamplures vſus hinc inde deprædicatos, in epilepſia & ſimilibus, quos hic congerere latius non attinet, vtpote vel minus vſitatos, vel aliis melioribus cedentes. Claudat agmen dictorum vſuum encomium plantaginis,

nis, commendatum a *Celſo l. 3. c. 25.* in lepra, corpus, *inquit*, contrita plantago, & illita tueri optime videtur.

CAPVT IV.

De *Vſitatis ac productis e plantagine.*

VTi viribus medicamentoſis elucet plantago, vt mirandum ſit, quosdam, vt *Cornel. Bontekoe* ipſum, ex numero officinalium excluſiſſe eandem, aliis vilioribus & minorum longe virium in eundem ſelectis; ſic quomodo illas exerat, & in actum impenſa vſui deducat, noſcendum eſt. Cedit vero in vſum in *radice*, *foliis*, & *ſemine*, floribus & caulibus fere excluſis, vnde quoad illas partes ſingulas, his viribus laudatis ipſis fœtas, iure merito in officinis aſſeruatur, vt in dictis quibuscunque exigentiæ caſibus ad manus ſit.

Vtimur vero iis vel crudis, ſeu in ſubſtantia, vt vocant, vel groſſius ſubtiliusue præparatis, ſimplicibus, vel compoſitis, officinalibus, vel quaſi talibus, Galenicis & Chimicis. Sic RADIX, in decoctis ac infuſis alterantibus, in intemperie hepatis, in febribus biliosis, tertianis & quotidianis, traumaticis, in vlceribus internis & externis, in alexipharmacis ipſis, ſatis conſpicua, ac primo loco attendenda. Vnde & merito TINCTVRAM hinc BEZOARDICAM ESSENTIFICATAM Wedelianam ingreditur.

Recipitur HERBA quoque, vt in *decoctum traumaticum*, ita & in *emplaſtrum Catagmaticum ſecundum Londinenſium*, quod vtrumque in pharmacopeia illorum deſcribitur.

Sic deſcribit etiam *Tabernæmontanus l. 2. c. 16.* emplaſtrum in fluxu

fluxu hepatico, vbi radix plantaginis primas tenet. Deinde ipſa folia, tum recentia, tum quoque exſiccata, varium ad vſum exponuntur. Illa partim quoad totum vſui inſeruiunt quandoque culinari, in dyſenteria, & reliquis alui fluxibus, betæ inſtar; partim quoad ſuccum expreſſum & inſpiſſatum: hæc vero tum ad pulueres exſiccantes, qualem *Tabernæmontanus l. c.* ex puluere foliorum plantaginis, ac radicis ari, mixtum, ad ficos deſcribit, tum ad decocta, infuſa, cataplasmata, clyſteres, emplaſtra &c. commode recipiuntur.

Inter alia hinc & in emplaſtrum ingrediuntur *Ioann. de Vigo*, quod ſumme proficuum in vulneribus laudat *Arcæus de recta curandorum vulnerum ratione, p. m. 67.*

Deſtillatur ex foliis AQVA, multi vſus, alterans, refrigerans, quam hinc *Caſpar. Hoffmannus Lib. de medic. offic. 2. c. 176. p. 425.* in caloribus internis commendat. Recipitur & vbi aſtrictione opus eſt, pro vehiculis; licet enim aquæ aſtringentes non dentur, cum vis aſtringens conſiſtat in terreſtri magis ſubſtantia, quæ alembicum non tranſcendit, præbet tamen aliis vehiculum, & ſimul alterat. Eſt in foliis vis quædam curſum ſanguinis vincens, teſte *Ebnſina*, in hæmoptyſi, mictu cruento, ac in phthiſi ipſa laudat *Durantes in hortulo ſanitatis.*

In initio dyſenteriæ *Tabernæmontanus* potiunculam purgantem parat, ex aqua plantaginis coctæ vel deſtillatæ ℥iij. rhabarb. ʒiß. ſirup. roſar. ℥j, quæ omnino ſe in mali initio commendat; leniter enim aluum mouet, ſalia ferina, roſiua inteſtinorum abſtergit, mitigat, roborat, ac aliquo modo adſtringit.

Sic etiam ad *gargariſmata*, & *epithemata* commode adhibetur, refertur item ab *Arcæo* laudato *l. c. p. m. 190* inter aquas bilem temperantes.

Notabile eſt, more aliorum, plantaginem in receſſu quoque habere partes quasdam volatiles, licet ſub terreſtribus iuga-

gatas & ligatas. Ita nouimus aquam hanc in pharmacopolio ſponte ſua rupiſſe aliquando vitrum. Id vero & in SPIRITV eiusdem deprehendere licet, qui, ſi rectificetur inprimis, virtute pollet diaphoretica, loco & ad inſtar ſpiritus tartari, ſi ita placeat.

Ex herba combuſta ac incinerata, conficitur SAL egregium, quod mundificat ſanguinem aduſtum, prodeſt cholericis, vlcera colli aut apoſtemata ſanat, nimio hepatis calori medetur, vt & pulmonum vitiis, peſti, ac febribus peſtiferis, morbo caduco, apoplexiæ, pleureſi, cephalalgiæ, mariſcas arcet, vt latius de eo *Theatrum Chimicum Argentoratenſe tom. 1. p. 640.* ita laudans videri poteſt.

SEMEN etiam celebre eſt non quidem tam in emulſionibus, quam in collyriis, in æſtu nimio, inflammationibus ac defluxionibus; ingreditur hinc in Collyrium acre *Scribonii Largi*, quod *comp.* & *p. 31.* extat, vt & in trochiſcos viticis ſeu agni caſti Londinenſium, qui *pharmacop. 266.* deſcribuntur.

Semen in ſubſtantia dyſenteriam curat, vbi notari poteſt, eiusmodi mucilaginoſa quoque ſuo loco in dyſenteria habere locum, cum aliis. Quidam idem frixare ſolent cum butyro, & eodem fine vſurpare.

Ex compoſitis aliis celebres ſunt *ſpecies diaplantaginis Mynſichti*, quas & radix & ſemen plantaginis ingreditur; eiusdemque *puluis dyſentericus*, in quem ſemen ſaltim recipit *Armament. Medico-Chim. p. m. 121. & 124.*

Compendioſiores ſunt *ſpecies diaplantaginis Ludouici*, ad imitationem Mynſichtianarum, in dyſenteria & aliis non inefficaces. ℞. *pulu. ſem. plantag.* (difficulter autem fit,) *corall. rubr. ppt. croci ♂ aſtring.* a. ℥j. *terræ ſigill.* (vel *boli armenæ*) *ſangu. dracon. thur. nuciſt.* a. ℥ß. M. F. puluis.

Seorſim indicta vulgo eximie nominari & laudari meretur MVCILAGO. Fieri illa poteſt ex tempore, ſi ℞. ſeminis plantaginis maturi, puri & mundificati, qu. v. v. g. ℥ß. In vaſe commodo affundatur aquæ feruidæ q. ſ. ſtent hæc tecto vaſe per

per horam circiter vnam, vel alteram, hinc coletur per linteum, cum expreſſione, vbi ſtatim oculis & ſenſibus reliquis, tactui, guſtatui ſe offert mucilago elegans, inuolucris vel capſulis ſeminalibus intime comminutis & ſeparatis.

Vel ex ſola hac deſcriptione tum patere ſatis poteſt, qua ex ratione & ipſum hoc ſemen, & planta integra operationes ſuas exequatur; tum ſeorſim, quomodo hoc ad linctus, ad abſterſionem, ad internos & externos vſus impendi queat commode, v. g. clyſteres ipſos, & reliqua.

In recenſendis viribus alterantibus & traumaticis inſignibus, nemo vnquam maioribus laudibus proſecutus eſt plantaginem, eiusque EXTRACTVM & ESSENTIAM, quam *Angelus Sala, Eſſent. vegetab. ſ. 2. c. 5. p. 8.* Parat illam ex ſucco expresſo e foliis plantaginis latifoliæ, electis & viridibus, facta depuratione cum albumine oui, & colatura ad mellis conſiſtentiam inſpiſſando. Facta in aqua ſolutione, additis paucis ſpiritus vitrioli guttis, in rubeſcentem & fere incarnatum liquorem mutatur.

Vires eius & vſum deprædicat, & ad inflammationes hepatis & ſanguinis, ad ardores & vlcera renum, ſpincteris veſicæ, gonorrhœam purulentam, & ſqualidum mulierum cum exulceratione fluorem, hydropem & huius ſimplicis, quauis forma, præcipue vero eſſentiæ eius admirandas & aliis contra præſtantiores vires eſſe ipſa experientia magiſtra cognouisſe ſe ſcribit.

B. Ludouici remedium hoc polychreſtum ita parauit: ℞. *fol. ſiccor. contuſ.* ℔i. Coq. parum in aquæ feruentis ℔viii. Exprime, & per reſidentiam (non tamen diu relinquendo) clarificatum liquorem exhala, addendis ſacchari ℥ij. Habebis craſſæ mellaginis ℔ß. ad minimum. Idque ℥ß. & vltra tartari arenoſi, plantaginem tamen referentis, deponit breui poſt; ſuperſtante eſſentia coloris hepatici. Poteſt etiam e viridi parari, ſi pro ℥vi. extracti melliformis immiſceas ℥ij. ſacchari.

ESSEN-

ESSENTIAM vero LIQVIDAM *plantaginis* ceu bonum hepaticum ita parauit idem: ℞ *roris mineral. ver.* vel etiam *liquoris acetoſi vitriolati* (poſt præcipitationem magiſterii coralliorum) ℥xx. *eſſent. plantag. ſacchar.* ℥vi. M. digere, cola, &, ſi libet, filtra. Doſis ʒii. ℥ß. & vltra.

Sicuti vero SVCCVS ipſe INSPISSATVS, ex iisdem foliis extractus & expreſſus, in officinis ſuum locum tuetur, ad pilulas, bolos, electuaria, potiunculas: ita etiam SIRVPVS PLANTAGINIS, ſiue ex ſucco expreſſo, ſiue, vt alii ſimplices, e ſiccis foliis paratus extat, ad communes cum reliquis vſus. Singulare quoque eſt denique plantaginis OLEVM elegantiſſimum, hactenus ſiue neglectum, ſiue ignoratum, non minimi tamen momenti.

Cum vero duplicia ſint olea plantarum, ſeminum & fructuum, ſulphuri fluorem indepto debita, alia ætherea, ſale volatili oleoſo fœta, alia mucilaginea magis, ſulphure ſubſtantifico tali magis, ſale volatili vero explicito non item pollentia, bituminoſa, vel gummatoſa, huius poſterioris generis etiam eſt oleum ſeminis plantaginis.

Habetur id & obtinetur ſola expreſſione, more aliorum ſimilium, quæ alembicum non tranſcendunt, ad inſtar aromaticorum, etiamſi ſatis ſuperque eodem abundent. Noſtro more, ad inſtar olei ſeminis hyoſcyami, paratum fuit l. a. cum vino imbuendo, vnde purum, limpidum, flaueſcens emicuit, reuera polychreſtum, ad herniam, ad procidentiam ani, vteri, fiſſuras papillarum, ad alia, vti & ſemen ipſum in emplaſtro ad herniam addidere *Londinenſes* in *Pharmacopœia*.

Cum vero hactenus non paucis locis, Italiæ inprimis, lues quædam peſtifera ſtragem ediderit in bouino genere, aliquot millibus hinc inde mortuis, nec adhuc dum potuerit certum remedium inueniri, quo auertere licuerit contagioſam & funeſtam hanc luem, conſultum viſum fuit, experimenti loco, pro antidoto proponere PLANTAGINEM. Hæc enim viribus temperantibus & bezoardicis pollet exi-

miis, ſiue ab aeris labe aliqua, ſiue ex pabuli vitio, ſeu ſtabulorum impuritate, vel ipſa quoque aranearum ibi hoſpitantium copia, malum originem traxerit. Minimum innoxium plane, tutiſſimum, facillimum, & ἐυπόριστον fuerit, quod non putauimus reticendum.

SOLI DEO GLORIA.

VIRO IVVENI PEREXIMIO

NICOLAO CHILIANI

S. P. D.

GEORGIVS WOLFFGANGVS WEDELIVS.

VVlgata eſt parœmia, duos eſſe libros peruolutandos: *Scripturæ* & *Naturæ*, in quaſcunque demum partes diſcerpta ſint ſtudia humanæ ſapientiæ, ſeu e Scriptura Sacra fontes ſalutis repetamus, ſeu ex profanis in qualibet Facultatum vulgo dictarum claſſe editos ſcriptoſue libros.

Scripturæ libri vniuerſales ſunt, omnibus legendi; quibus propria ſalus cordi eſt; *Naturæ* vbiuis in patente forma obuii, ſi ita loqui licet, omnibus quidem deben-

bentur itidem & ſingulis, attamen ſeorſim a naturæ myſtis & ſacerdotibus, Medicis, frequer.tantur.

Sed vt profana ſcripta diuiſa quoque ſunt, in quibuscunque artibus & ſcientiis, ita ſeorſim quoque alia antiqua ſunt, alia noua, omnia, ſed maxime naturæ, ſi a ſacris abierimus, inexhauſta.

Ego TE, mi CHILIANI, vtroque nomine ſpeciali felicem deprædico, euoluis & reuoluis Scripta antiqua & noua, Medica & Phyſica, ampliſſima gauiſus hereditate, a Græcis, Arabibus, Latinis, ne de Europæis aliis Nationibus dicam, relicta & ſcripta, vbertim in academiis obuia, & largiter oblata.

Scrutaris trium regnorum dotes, ingenio, oculis, ferro & igne, tot laudes Deo O. M. canens, quot plantas decerpis. Genuina naturæ principia, præuiis ſummis duobus Philoſophis, Moſe & Hermete, ſtabilita intimius noſſe satagis. Plenæ ſunt terræ gloriæ diuinæ, plenæ medicamentorum ſalutarium.

Quid multa? ſolidam eruditionem venaris, ex autoribus antiquis & recentioribus, & ex natura & rebus ſapere ſtudes. O vtinam eadem mens eſſet pluribus!

Laudo, & me ductorem TE ſequi, & animitus gratulor, ita enim, vel PLANTAGINIS huius exemplo, eruere allaboramus, quæ Maieſtatem diuinam deprædicare, quæ vſus publicos pro humana ſalute ampliare queant.

Macte hac Tua virtute & ſtudiis! non deſine inſiſtere huic viæ genuinæ regiæ, ad honores, ad famam, ad emolumentum & gaudium plenis velis tendenti, vno verbo, priſtinum acclamo Feliciter! Dab. e muſeo MDCC XII. D. XVI. Nou.

Inqui-

INquiris recte medicum plantaginis vſum,
Qui rebus pariter magnus ineſt minimis.
Hac amat herba vias, ſolers & Tu quoque rectam
Iam ſequeris, qua Te ducet ad artis opes.

Honoris, affectus & gratulationis ergo

ſcripſit

IO. ADOLPHVS WEDELIVS, D.
P.P. Med. Prou. Saxo-Vinar. & Ciuitatis Ienenſ. Phyſ.

QVas habeat vires, viridis queis creſcat in aruis,
Et quid Plantago ſemine poſſit, ais.
Eſt pius ille labor, quo iam mortalibus ægris
Vulnera ſanandi tradis, Amice, viam.
Gratulor, ac merito, quo dudum dignus, honore
Lætor, maiores tempora, crede, dabunt.

Ita Tibi Amice optime ex animo acclamat

C. F. GRVNERVS,
Cob. I. V. C.